

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Ad Locum I. De Scriptura Sacra.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)

AD LOCUM I.

De

SCRIPTURA SACRA.

Ad p. 65. §. VIII. *Verbum Dei est instrumentum.*

Verbum Dei instrumentum perpetuum est, per quod movere, accendere, illuminare homines vult Deus, imo prorsus mutare &c. *Vid. locum integrum* Loc. II. p. 223. §. LXXVI.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 806. a.

Ad pag. 69. in fin. §. XI.

Nec hoc testimonium Ecclesiae contemnimus, sed, ut par est, æstimamus. Nam, ut est Eccles. XII. II. Rex *unus*, qui est *Pastor*, constituit sapientes viros agnoscendis & adprobandis libris. Isti inquam in hoc libro agnoverunt Spiritum S. & adprobaverunt populo. Sic etiam Evangelia sunt suscepta à Patribus & adprobata, id est, ipsi Patres agnoverunt Spiritum S. Non autem ex hoc inferendum, ergo Ecclesia vel Patres sunt supra Evangelium. Sicut non sequitur, ego cognosco Deum verum & vivum, & verbum ejus, ergo sum supra Deum & ejus verbum. Sicut non est superior princeps, qui principem agnoscit, nec supra parentem, qui parentem agnoscit, ita & hic, Viri isti non docent pastorem hunc, sed recipiunt à pastore uno. Sic & ego distinguo inter libros, & dico, Epistola hæc est Apostolica, hæc non est Apostolica. Hoc vero nihil aliud est, quam quod testimonium perhibeo veritati.

Tom. III. Jen. Lat. fol. 29. b.

Ad pag. 71. §. XII. fin.

Odioli isti homines sunt, qui insigni sententia Esa. LIV. *universos filios tuos doctos à Domino, abutuntur contra verbum vocale.*

b 3

Quod

Quod si *verbum vocale* inefficax est, cur ipsi non cessant docere? cur non cessant libros scribere? Aut unde ipsi ea habent, quæ docent? Propheta rectius facit, qui *utraq; conjungit, & verbum vocale, & spiritum*. Ecclesiam vocat matrem, quæ parit filios, & tamen constat, Ecclesiam non posse dare Spiritum S. Parit igitur per *ministerium externum verbi*, cui adest Dominus, sicut est in Marc. XVI. 20. *cooperante Domino, & sermonem confirmante per miracula*. Ergo quia dicit esse *filios* Ecclesiæ, significat adesse *verbum vocale*. Rursus, quia dicit *filios à Deo* doctos, significat adesse quoque *spirituale verbum*.

Sic igitur hæc distinguenda sunt. Audire habemus ab Ecclesia, credere à Domino, *verbum à matre, Spiritum à Patre, vocem à prædicatoribus*, vim & efficaciam à Spiritu Sancto. Vox nos congregat, spiritus illuminat & copulat nos Deo &c. Qui igitur habuerit *verbum*, & crediderit *verbo*, est *filius Dei*, & habet utrumque, *verbum scilicet vocale & spirituale*. Neque potest alterum sine altero esse, quia Deus sic ordinavit.

Tom. III. Jen. Lat. fol. 430. b.

Ad eand. pag. §. XIII. lin. 2.

Has duas sectas, scilicet *Epicurismum & Enthufiasmum*, valde metuit Lutherus, ac prædixit, eas ad tempus in flore fore. Nam, inquit, totus mundus extrema securitate præsumtuosissimus incedit, cæteri qui voluerint videri Deum curare, illi ad altiora rapiuntur, *contempto verbo vocali*, & tantum in suis speculationibus gloriabuntur de spiritu, *verbum vocale nihil esse*, qualis fuit fanaticus ille Marcus Storch &c. Multos sane *Enthufiastas* surgere timeo, qui attoniti, stupidi, suis cogitationibus immergi sententiam suam mordicus retinebunt, *contempto verbo Dei*. Ideo semper summo studio admonui ad *S. Scripturæ lectionem & verbi vocalis auditum*, ut agamus cum Deo revelato & loquente, omnibusque modis Deum tacentem & in maiestate obscurum relinquamus. Optime igitur vidit Deus nos cum speculatione

lationibus nostris in rebus divinis errare; ideo statuit sese nobis revelare, & loqui per Filium in gremio virginis lactatum. Hunc audite. Ille vos docebit omnia. Sed nos prohi dolor! nolumus eum audire, & *verbum* illud *vocale* contemnimus, nec Christum in præsepi & fasciis, ubi inveniri vult, quærere volunt. Ah! si Deus per asinum loqueretur, tamen esset illius verbum; multo magis si per Filium & Apostolos; ideo Paulus gloriatur, *vos accepistis verbum nostrum, ut Dei verbum*. Si hoc crederemus Deum nobiscum loqui, verbum ministerii oscularemur. Verum non possumus concretum illud, quod Deus loquitur, retinere, quia Enthusiasticum.

Tom. II. Colloq. Convivial. edit. Lat. non procul à fin. sub Tit. Hæretici. Varicinium Lutheri de novis hæret.

Ad pag. 82. §. XXIII.

Sicut omnes Prophetæ & Patres eodem Spiritu Christi locuti sunt omnia, quæ habentur in Scripturis: tamen interim quia sumus inæquali spiritu, & caro adversatur spiritui, necesse est etiam propter vagos spiritus certis mandatis & scriptis Apostolorum adhærere, ne laceraretur Ecclesia. Non enim omnes sumus Apostoli, qui certo Dei decreto nobis sunt infallibiles Doctores missi. Ideo non illi, sed nos, cum sine tali decreto sumus, errare possumus & labi in fide.

Tom. I. Jen. Lat. fol. 540. a.

Ad pag. 88. in fin.

Interim Lutherum constat aptas & non coactas allegorias non improbasse, sed sectarum quoque subinde esse, ut videre est exannotat. ejus in Deuteron. & in Magnificat. unde Glassius Phil. 5. L. II. P. I. Tr. II. Sect. 3. pag. 313: Lutherum per allegorias, quas odisse se dicit, non *εὑρίσκει* & eas, quæ in ipsis sacrosanctis extant, explicanturque, literis, sed *αἰγείρει* in Scripturam illatas, contortasque præsertim, alienas & nimis crebras intellexisse, recte observavit.

Ad

Ad pag. 92. ab init. §. XXXII.

At *Scriptura obscura indiget explicatione*. Dimitte illam, ubi obscura est, teneque ubi clara est. Miseri Christiani, quorum verbum & fides adhuc in hominum glossis pendet, & eorum elucidationem expectat. Frivola sunt ista & impia. *Scriptura* omnibus communes sunt, *satis aperte, quantum oportet pro salute, satis etiam obscura pro contemplatricibus animabus.*

Tom. II. Jen. Lat. fol. 423. in conf. rat. Lat.

Prolixius hæc contra *Erasmum* de servo arbitrio edisserit, sequentem in modum: *sed esse &c.*

Ad pag. 93. fin.

Nam id oportet apud Christianos esse in primis ratum atque firmissimum, *Scripturas sanctas esse lucem spiritualem, ipso sole longe clariorem*, præsertim in iis, quæ pertinent ad salutem vel necessitatem. Verum, quia in contrarium persuasimus jamdudum pestilenti illo *Sophistarum* verbo, *Scripturas esse obscuras & ambiguas*, cogimur primum probare illud ipsum primum principium nostrum, quo omnia alia probanda sunt, quod apud Philosophos absurdum & impossibile factu videretur. Primus Moyses dicit Deuter. XVII. 8. 11. Sacerdotes jubentur in difficili causa judicare secundum legem Domini, quomodo autem judicabunt, nisi lex Domini sit externe clarissima. Psalm. XIX. 9. CXIX. 130. Esa. VIII. 20. Matth. II. 7. Rom. I. 2. III. 21. 2. Cor. III. & IV. 2. Pet. I. 19. &c.

Tom. III. Jen. Lat. fol. 183. a, b.

Vere igitur in media nocte & densissimis tenebris hæremus, nisi affulgeat Lucifer ille, de quo dicitur: *lucerna pedibus meis verbum tuum*. Si non habemus *Scripturam* S. prælucentem & gubernantem nostras actiones, tota hæc vita, & universum lumen rationis, omnis denique sapientia & consilia omnia sunt tenebræ & confusio.

Comment. in Genes. XXXI/II. 9. fol. 503. b.

Ad

Ad pag. 97. fin. §. XXXVI.

Itaque, ut brevius Noster se expedit explicatque Enarrat. in Genes. VI. 3. *ad Scripturæ sententiam intelligendam requiritur Spiritus Christi*. Scimus autem esse eundem Spiritum usque ad finem mundi, qui fuit ante omnia.

Ad pag. 101. fin. §i.

In Enarrat. Genes. VI. 3. gloriatur, se Dei beneficio habere Spiritum S. & per eum etiam habere fidem, intelligentiam Scripturarum mediocrem, & reliquarum rerum cognitionem, quæ ad pietatem sunt necessaria; non igitur se fingere novam sententiam, sed analogiam tum fidei tum Scripturæ sequi.

Ex his omnibus satis patet, quam solícite *Lutherus* leges bonæ interpretationis observaverit, & observare voluerit, ac falsum adeo esse, quod obijciunt *Pontificii*, speciatim *Erbermannus*, ipsum ex sensu suo proprio, privato spiritu, interpretandi potestatem sibi arrogasse, quando ad *Leonem X.* scripserit: *leges interpretandi verbi Dei non patior, cum oporteat verbum Dei non alligatum esse, quod libertatem docet omnium aliorum*, Tom. I. Jen. Lat. fol. 463. a. Loquitur enim *Lutherus* de iniquis legibus, quas adversarii obtrudebant, ut non alio sensu, quam Pontifex & Ecclesia vellet, Scripturas accipere & explicare interpreti liceret. Quod prolixè ostendit *D. Musæus* Diss. Apol. II. pro Bibl. Lutheri & Vinariens. p. 88. ff. (I.) ex historia certaminum, quæ *Lutherorum* intercesserunt cum adversariis, ut *Tezelio*, qui disp. II. poss. 4. & 7. (Tom. I. Jen. Lat. fol. 8. a.) asseruit Papam solum Scripturam sanctam pro suo sensu autoritative interpretari, cui standum sit: & *Cajetano*, qui Papæ potestatem supra Concilium, supra Scripturam, super omnia Ecclesiæ esse dicebat. (II.) ex circumstantiis; (III.) ex ratione, quia quum urgeretur Pontificia autoritate, noluit verbum Dei alligari humanæ interpretationi: & alibi sæpius inculcavit, Scripturas non nisi eo, quo conscripti sunt Spiritu, intelligendas.

c

Ad

Ad pag. 105.

Hinc *Phil. Melanch.* præfat. super Tom. II. Op. Luth. Lat. Witt. haud abs re scripsit, *interpretationem Vet. & Nov. Test. à Luthero adornatam, utilitate & labore æquare magna ipsius merita & scripta διδασκαλικὰ, ἐξηγητικὰ, ἐλεγκτικὰ*, in qua tanta sit perspicuitas, ut vice commentarii esse possit.

Ad pag. III. §. XLVI. lin. 2. post voc. *competit*.

De doctrina cognoscere & judicare, pertinet ad omnes & singulos Christianos, & ita pertinet, ut anathema sit, qui hoc jus uno pilo laferit. Christus enim ipse hoc jus statuit invictis & variis sententiis, Matth. VII. 15. *attendite à falsis prophetis &c.* Hoc verbum certe dixit ad populum adversus Doctores, & mandat eis, ut falsa dogmata eorum vitent. At quomodo vitare possunt, nisi cognoscant? quomodo cognoscere, nisi jus habeant judicandi? Nunc autem *non solum jus sed præceptum judicandi* statuit, ut hæc sola autoritas satis esse queat adversus omnium Pontificum, Patrum, Conciliorum, Scholarum sententias, quæ jus judicandi & decernendi solis Episcopis & Ministris tribuerunt, & impie ac sacrilege populo, id est, Ecclesiæ Reginæ rapuerunt. Stat enim Christus dicens: *attendite à falsis prophetis*. Huic subscribunt ferme omnes omnium Prophetarum syllabæ, quid enim agunt Prophetæ, nisi quod populum monent, ne falsis prophetis credant? At quid est hoc monere, nisi judicandi & cognoscendi jus penes populum esse, declarare & confirmare, ipsumque sui operis commonefacere & excitare adversus omnes omnium suorum sacerdotum & Doctorum doctrinas? Quare his concludimus: quoties Moses, Josua, David, omnesque Prophetæ in veteri lege populum à falsis prophetis vocant & monent, toties clamant, mandant, confirmant, excitant jus cognoscendi & dijudicandi omnium omnia dogmata. At hoc infinitis locis faciunt.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 562. b. 563. a.

Ad

Ad pag. 121. fin. §. LIII.

Hinc constat *Bellarminum* L. I. de V. D. Cap. V. hæc §. immere-
rito *Lutherum* accusare, quod *Canonicæ* auctoritati libri *Job*
decebat. Vid. *D. Gerhard.* Conf. Cathol. Ap. L. II. Art. p. m.
453. b.

Ad pag. 125. §. LVI. fin.

Phil. Melancthon Epist. contra *Eccium* eum redarguit, quod
palam dixerit, *Macchabaorum libris* tantum esse auctoritatis,
quantum est *Evangelio*, & *Hieronymi* dictum ei opponit: sicut
ergo *Judith*, & *Tobia*, & *Macchabaorum libros* legit quidem *Eccle-*
sia, sed inter *Canonicas Scripturas non recipit*: sic & hæc duo
volumina, scilicet *Sapientiam* & *Ecclesiasticum*, ad adificatio-
nem plebis, non ad auctoritatem *Ecclesiasticorum dogmatum con-*
firmendam. Est ergo inter libros *Ecclesiæ* discrimen, quæ alios
libros aliter recipit, ut non sit consecræneum: hic liber est in
numero nostrorum, igitur est *Scriptura Spiritus Sancti*.

Tom. I. Jen. Lat. fol. 366. b. 367. a.

Ad pag. 126. ultra med. post *permittam*.

Et ad 1. Pet. I. 4. (*Tom. II. Alt. pag. 409. a.*) scribit: hinc colli-
gi posse, quod *Epistola Jacobi* non sit vere *Apostolica Epistola*,
quia nulla fere litera in ea extet de resurrectione Christi.

Ad eandem paginam in fin. adde.

Mutavit *Lutherus* ipse aliquando mentem suam. Ita ad *Am-*
brof. Catharin. *Tom. II. Jen. Lat. fol. 390. b.* scripsit: *Epistola Ju-*
dæ mihi quondam inutilis visa, nunc agnita est è *Petri Epistola*
sumpta propter solum *Papam* esse scripta.

Ad eandem pag. supplem. de *Epist. ad Roman.*

Epistola ad Romanos totius *S. Scripturæ* tum commentarius,
tum epitome, imo lux & *Apocalypsis* est (*Tom. II. Jen. Lat. fol.*
112.) Cumque *unica totius Scripturæ sit methodus & absolutissi-*
ma Epitome Novi Testamenti, seu *Evangelii*, quod ipsa certe vel
sola breviter & purissime tradit: dignam sane existimo, quæ
non